

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 59

DECANDRIA TRIGYNIA.

13

*laminae* concolores, ad basin ferè bipartitae, laciniis linearibus, angustis, appendiculâ bifidâ, lobis integerrimis. *Stamina* longitudine petalorum, rubra, *antheris* virescentibus. *Germen* ovatum. *Styli* longitudine ferè staminum, *stigmatibus* rubris, filiformibus. *Receptaculum proprium* breve. *Capsulam* nondùm vidi.

a. Calyx.

b. Flos calyce orbatus.

c. Pistillum receptaculo proprio insidens.

D. Petalum.

TABULA 418.

SILENE LÆVIGATA.

SILENE paniculâ patulâ, petalis semibifidis angustatis nudis, foliis elliptico-rotundatis, calycibus lævissimis aveniis.

In insulæ Cypri montosis. ☉.

*Radix* simplex, teres, gracilis, infernè fibrosa, annua. *Herba* multicaulis, spithamæa, glauca, glaberrima. *Caules* plerumque simplices, erecti, teretes, foliosi, rubicundi, magnitudine varii; apice paniculato-dichotomi, subaphylli. *Folia* haud uncialia, in caulibus vel ramis lateralibus multò minora; inferiora obovata, rotundata, obtusa, petiolata; superiora ovata, acutiora, subsessilia; omnia integerrima, uninervia, lævia. *Panicula* semel vel bis dichotoma, apice depauperata. *Flores* longiùs pedicellati, erecti, exigui, rubri. *Bractea* ad basin pedicellorum, ovatae, geminae; superiores minutae. *Calyx* ovatus, glauco-purpurascens, teres atque lævissimus, obsolete decemnervis, prorsùs aveniis. *Petalorum unguis* latiusculi; *laminae* ad medium usque bifidæ, appendiculis destitutæ. *Stamina* unguibus breviora, pallida. *Germen* ellipticum, longitudine ferè *receptaculi proprii*. *Styli* brevissimi. *Stigmata* patentiuscula, crassiuscula, villosa. *Capsula* ovata, lævis, sexdentata, calyce persistente, scarioso, arcè vestita, ut in aliis huic affinis.

a. Calyx.

b. Flos, avulso calyce.

C. Petalum auctum.

D. Pistillum auctum, cum receptaculo proprio.

TABULA 419.

SILENE LONGIPETALA.

SILENE floribus pendulis, petalis bipartitis linearibus appendiculatis basi hirsutis, foliis lanceolatis margine scabris.

S. longipetala. *Venten. Jard. de Cels, t. 83.*

In insulâ Cypro. ☉.

VOL. V.

E